

Quomodo  
inveniuntur  
Poli cuius-  
vis Lapidis  
Magnetici.

unam solum & simplicem virtutem, per totam lapidis substantiam diffusam, quæ duplicem sortitur facultatem, quod nimirum polos suos vel axem parallelum cum Solis axe conservet, & unicam tantum positionem vel situm in mundo obtineat, sicut videmus in homine, in quo non solum partes sunt ordinatè positæ, sed etiam sic collocatæ ad terram, ut scilicet caput ad cælum erigatur, pedes humo innitantur, & tota corporis forma erecta subsistat. Ut autem Benev. Lector in quolibet Magnete Polos ejus invenire possit: Recipiat ex horolo-

gio aliquo Solari, Acum vel Linguam Magneticam, imponat super aciculam ut libere possit vagari, & applicet ad lapidem illum, tunc pars Septentrionalis hujus Acus, indicabit punctum lapidis Australe, altera autem pars Acus (Australis scilicet) indicabit punctum Septentrionale lapidis: Deinde potest lapis juxta Polos suos mediante Cote exacui in formam ovalem, eritque perfectus ad præparandum alias acus Magneticas: quando scilicet cuspis australis alicujus impræparatæ Acus, fricatur Polo Boreali Magnetis: & vice versa.

## CAPUT VIII.

## De Differentia inter Virtutem Terræ Conservativam &amp; Directivam.

**M**agnetica coitio in suis polis amicabilibus, non propriè sed impropiè appellatur Attractio; Magnes enim magnetem vel ferrum propriè non trahit, sed quia magnetica virtus coit seu in ferrum intrat, ideoque unum ad alterum tendit.

Magna itaque differentia est, inter Virtutem Conservativam & Directivam: Illa, corpora omnia non in locis polaribus, sed ubique allicit vel attrahit, attracta non immutantur, sed conservativâ vi tenentur, ablata verò feruntur rectâ lineâ terram versus centraliter. Hæc contrâ, magneticum corpus tantum Polariter, id est in polis directè appellit, in aliis partibus oblique & transversim: vel etiam omnino repellit. Virtus itaque Conservativa est coacervatio Terræ: Directiva est ejus dispositio & erectio.

Scriptores qui de Magneticâ attractione scripserunt, semper immiscent Electricam Attractionem, cum tamen magna sit differentia. Insuper Gilbertus in libro suo de Magnete, vult: Electricam Attractionem fieri per effusum humorem, & humidum petere humidum, indeque inferre attractionem.

Causa, quas  
adscribunt

Cabeus autem in Philosophia Magnet. lib. 2. cap. 21. reprehendit Gil-

bertum, concedit quidem Attractionem hanc, per transmissionem effluviï fieri, non autem per humidam, sed saltem per puram effluviï transmissionem, quo incitetur aër, qui impulsus revertatur quasi in gyrum versus electrum, & secum rapiat corpuscula; & denique his verbis concludit. *Dico igitur, ex electro seu quolibet corpore attrahente electricè, quando sic attrahit, effluere effluviium tenuissimum, quod aërem attenuat & disjicit, imò incitatissimè impellit; tum verò attenuatus & impulsus aër revertitur ad corpus electricum, secumque unâ rapit paleas & quæcunque obvia corpuscula.*

In eadem ferè sententia est Kircherus in libro de Arte Magnet. part. 3. cap. 3.

Sed nos, qui, in antecedenti capite denominati globi Sulphurei attractionem, eandem cum Electricâ assumimus & ex virtute Conservativâ esse vel oriri percipimus, non possumus concedere, hanc attractionem mediante aëre fieri, quia experimenta oculariter monstrant, hunc Sulphureum Globum (attritione antea excitatum) suam quoque virtutem per filum lineum, ulnam & ultra longum, posse exercere, & ibi aliquid attrahere; De quibus postea capite scilicet 15. artic. 3. num. 4.

Electrica  
attractioni  
non concor-  
dant cum  
Experimen-  
tis.

Autoris  
sententia de  
Electrica  
attractione.